

Francisci de Marchia, *In quartum librum Sententiarum*, quaestio prima

(Città del Vaticano, Biblioteca Apostolica Vaticana, Vat. lat. 943)

[1] Circa quartum librum adhuc aliter potest procedi. Quaero¹ ergo de sacramentis in generali utrum in sacramentis novae legis sit aliqua virtus supernaturalis formaliter inhaerens.

[2] Et arguo primo quod sic, quia omnis causa concurrens ad aliquem effectum supernaturalem concurret per aliquam virtutem supernaturalem; sed sacramenta concurrunt per se ad iustificationem animae suscipientis sacramenta; ergo concurrunt per aliquam virtutem supernaturalem eis formaliter inhaerentem.

[3] In contrarium arguo, quia illa virtus supernaturalis aut esset virtus sensibilis aut intelligibilis. Non est forma intelligibilis, quia forma intelligibilis non est in subiecto sensibili. Nec est forma sensibilis, cum non cadat sub aliquo sensu particulari. Ergo talis forma non est ponenda.

[4] Respondeo: virtus supernaturalis est duplex, scilicet assistens, quae est ipse Deus, Ad Hebraeos 1:² “Portans omnia Verbo virtutis suae.” Alia est virtus supernaturalis formaliter inexistentis, sicut est caritas in anima, de qua Apostolus Ad Corinthios 13:³ “Si habuero omnem fidem ita ut montes transferam, caritatem autem non habuero nihil sum.” De virtute assistente non est dubium quod in sacramentis est aliqua virtus supernaturalis assistens, scilicet ipse Deus, quae virtus iustificat, iuxta illud Apostoli, I <Ad> Corinthios 3:⁴ “Ego plantavi, Apollo rigavit, Deus autem incrementum dedit.” Sed utrum praeter virtutem assistentem sit aliqua virtus supernaturalis formaliter inhaerens, concurrens effective ad iustificationem animae suscipientis, vel concurrens dispositive, de hoc est dubium.

[5] Circa quod sciendum quod triplex est instrumentum: quoddam est instrumentum artificiale, sicut dolabra est instrumentum dolandi – patet II *De anima*;⁵ quoddam est instrumentum naturale, sicut manus quae est organum

1 quaerere Maier (*Die Impetustheorie*, p. 166, n. 14).

2 Ad Hebraeos 1.3.

3 I Ad Corinthios 13.2.

4 I Ad Corinthios 3.6.

5 Aristoteles, *De anima* II, c. 1: 412b12-15.

organorum – patet III *De anima*;⁶ quoddam est instrumentum supernaturale, sicut sacramentum est instrumentum nostrae salutis, iuxta illud Matthaei ultimo:⁷ “Qui crediderit et baptizatus fuerit salvus erit.”

[6] Ex hoc sunt videnda tria: primo, utrum in instrumento artificiali sit ponenda virtus influxa ab agente principali praeter formam artificialem et motum localem; secundo, utrum in instrumento naturali sit aliqua virtus influxa ab agente primo; <tertio de quaesito>.

<Articulus primus>

[7] Quantum ad primum, dico quod eadem difficultas est de motu instrumenti artificialis et de motu lapidis sursum, quia sicut iactus lapidis est violentus motus, ita motus elevationis martelli est violentus, et ita est eadem ratio de utroque. Constat autem [60va] quod motus lapidis violentus manens, cessante manu, non est effective a manu, tum quia manus iam cessavit movere; tum etiam quia, da quod manus ex tunc esset amputata, adhuc lapis movetur ad terminum debitum. Nec talis motus est effective a forma naturali medii, aeris vel aquae, <nam> forma naturalis aeris vel aquae est principium unius motus secundum speciem determinati, motus autem lapidis violentus est indifferenter ad omnem differentiam positionis, sive sursum sive anteorsum, sive retrorsum, et sic de aliis. Similiter, lapis potest moveri violenter vel motu recto vel motu circulari, sicut patet de rota figuli. Forma autem naturalis medii non est principium motus recti et circularis, cum sit determinata ad unum motum secundum speciem. Ergo motus lapidis postquam lapis est separatus a manu non <est> ex tunc immediate a manu, nec a forma naturali lapidis, nec a forma naturali medii.

[8] Nec est ab ordine partium moventium medii, sicut forte aliquis diceret quod manus <movet> primo partem aeris sibi propinqua<m> deferentem lapidem, et illa pars aeris pars primo mota a manu movet secundam, et secunda movet tertiam, et tertia movet quartam, usque ad ultimam partem, in qua cessat motus. Et ita cessante manu, adhuc tamen prima pars aeris mota a manu movet secundam <partem> aeris, et cessante prima parte, posito quod cesset, adhuc

⁶ Aristoteles, *De anima* III, c. 8: 432a1-2.

⁷ Marcus 16.16.

secunda pars movebit, et sic deinceps usque ad ultimam. Et sic ille motus causatur a partibus medii successive se ad invicem moventibus.

[9] Hoc non potest stare, quia illud quod non movet nisi motum, cessante motione passiva, cessat motio activa; sed prima pars aeris non movet secundam nisi mota a manu passive; ergo cessante motione passiva causata a manu, cessat motio activa respectu secundae partis. Similiter, secunda pars non movet tertiam nisi mota a <prima, et tertia non movet quartam nisi mota a> secunda, et quarta non movet nisi mota a tertia, et sic secundum ordinem usque ad ultimam. Ergo cessante prima motione activa ipsius manus, cessat motio activa omnium partium medii, nisi praeter medium derelinquatur aliqua forma in partibus medii ad tempus quamdiu durat motio praeter formam naturalem medii. Et haec est ratio Philosophi in fine VIII *Physicorum*.⁸ Ergo motus lapidum violentus [ergo] non est a manu immediate postquam separatus est ab ea nec est a forma naturali lapidis violentus, nec a forma naturali medii, nec est ab ordine partium medii successive moventium. Et ultra istam non relinquitur nisi quod sit vel a se ipso – quod est impossibile, quia nihil causat se ipsum – vel quod sit ab aliqua virtute influxa sive derelicta ab ipsa manu movente in medio vel in lapide quae, cessante motione activa ipsius manus, sit principium motus sequentis. Et usque huc certum est, nec in hoc fuit dubium apud Aristotelem et Commentatorem, VIII *Physicorum*, commento 77.⁹

<Opinio Philosophi>

[10] Sed in quo sit ista virtus derelicta sive influxa a manu, utrum in medio vel in ipso lapide, et quid sit ista virtus permanens ad tempus, difficile est videre.

[11] Et haec est opinio Philosophi et Commentatoris, commento 77 ubi supra,¹⁰ quod ista virtus est in medio deferente, et non in ipso lapide mobili. Dicunt enim quod aer pellitur a manu velociori motu quam sit motus naturalis

8 Aristoteles, *Physica* VIII, c. 10: 266b27-267a20 (*Aristotelis Opera cum Averrois Commentariis* IV, ed. Venice 1562, f. 429vaH-bL).

9 Aristoteles, *Physica* VIII, c. 10: 267a8-12 (ed. Venice, f. 429vaI-bL), sed non inveni in Averrois, *In Physicam* VIII, comm. 77 (ed. Venice, ff. 422rbE-423raC). Alia versio habet comm. 27; cf. comm. 82 (ed. Venice, ff. 430raA-431vaI).

10 Aristoteles, *Physica* VIII, c. 10: 266b27-267a22, et Averroes, *In Physicam* VIII, comm. 82 (ed. Venice, ff. 429vaH-431vaG). Cf. *Physica* IV, c. 8: 215a13-b11.

lapidis, ideo aer velocius pulsus defert ipsum lapidem, et alia pars pulsa a prima parte defert ipsum lapidem, et sic per ordinem usque ad ultimam [60vb], ita quod ista virtus est in partibus aeris celerius motis et pulsis et pellentibus lapidem quo usque cesset motus. Et sic lapis non movetur nisi motu vectoris medii deferentis, et sic non movetur per se, sed per accidens, et motus iste non est unus et continuus, sed consequenter se habens.

[12] Quomodo autem hoc sit in speciali? Explicat Commentator quod aer et aqua <sunt> apta nata recipere raritatem et densitatem ab extrinseco. Et secundum diversam raritatem et densitatem partes aquae et aeris expellunt et pellunt se ad invicem secundum quosdam circulos maiores et minores, sicut patet de lapide proiecto in aqua, qui causat in ea circulos. Sic lapis motus a manu in aere facit circulos invisibiles celeriores quam in aqua, et sic primus circulus defert lapidem ad secundum, et secundus circulus defert lapidem ad tertium circulum, et tertius ad quartum, et sic per ordinem usque ad ultimum circulum, qui est debilior omnibus praecedentibus, quia quanto circulus minor, tanto fortior. Et quia isti circuli non sunt continui, sed consequenter se habentes, sicut manifeste patet in aqua, ideo motus lapidis non est continuus, sed consequenter se habens. Et sic illa virtus derelicta est in ipsis circulis, et non in lapide.

[13] \Quod virtus motus lapidum sit in medio/ Pro ista opinione potest argui tripliciter. Primo, quia ad sensum videmus quod lapis proiectus, quando flat ventus ex opposito moventis, revertitur versus moventem ad motum aeris depellentis per ventum, eadem ratione movetur ad motum aeris deferentis quando movetur a manu.

[14] Item secundo, motus qui est a principio intrinseco est motus naturalis et non violentus – patet II *Physicorum*;¹¹ sed in lapide, si sit aliqua virtus et aliqua forma derelicta a manu quae sit principium illius motus, tunc motus lapidis sursum est a principio intrinseco et non extrinseco, et ita esset motus naturalis et non violentus.

[15] Item tertio, quia secundum Aristotelem, III *Ethicorum*:¹² “Violentum est

11 Aristoteles, *Physica* II, c. 1: 192b20-23.

12 Aristoteles, *Ethica Nicomachea* III, c. 1: 1110b15-16 (AL 26.1-3, fasc. 4, trans. Grosseteste, ed. R.A. Gauthier, Leiden-Brussels 1973, p. 411.26-7).

cuius principium est extra nihil conferente vim passo”); sed si aliqua forma esset causata a manu in lapide, tunc agens violentum daret aliquam vim passo, quod est contra Philosophum.

[16] Item, omne illud quod recipit aliquam virtutem a movente per continuam motionem assuescit ad illum motum – patet de manu scribentis quae ex continua scriptura assuescit ad actum scribendi (patet etiam ratione, quia qua ratione recipit una vice virtutem aliquam a movente, pari ratione qualibet vice qua movetur recipit aliquam virtutem ab eo, et sic ex continuis motionibus assuesceret ad illum motum); sed lapis numquam assuescit ad motum sursum, etiam si decies milies moveatur sursum, sicut dicit Aristoteles in principio IV *Ethicorum*;¹³ ergo in lapide non derelinquitur aliqua talis virtus. Ergo in medio.

<Contra Philosophum>

[17] Sed contra ista sunt aliqua dubia quae videntur magis cogere, quia illa virtus causata aut est virtus habens contrarium, sicut raritas et levitas, quae habent contrarium – de quibus videtur innuere Commentator quod sicut principium huius motus <...> – vel est virtus non habens contrarium. Non potest dici quod sit virtus habens contrarium, quia talis virtus non est principium motuum contrariorum, sed est principium unius motus contrarii; sed motus lapidis violentus est ad omnem differentiam positionis indifferenter; ergo principium talis non est virtus habens contrarium.

[18] Praeterea, videmus manifeste quod potest trochus moveri et continuari motus eius circularis, flante aere ad oppositum, et eodem modo de rota figuli, et potest etiam statim incohante motu flante vento removeri totus aer qui erat primo contiguus; quare etc.

[19] Praeterea, flante vento uniformiter ad cursum fluminis, adhuc potest continuari motus navis contra impetum fluminis etiam postquam depositum est velum et posito quod nullus ducat remum, quod non esset nisi virtus motiva esset derelicta in navi./

[20] Item, virtus habens contrarium non est per se principium motus recti et circularis, sed tantum est principium [61ra] unius motus recti vel circularis; sed motus violentus lapidis est indifferenter rectus vel circularis; ergo principium

¹³ Aristoteles, *Ethica Nicomachea* II, c. 1: 1103a20-23 (ed. Gauthier cit., p.396.8-10).

talis motus non est raritas vel levitas, nec aliqua forma habens contrarium. Ergo est aliqua forma neutra non habens contrarium. Sed forma neutra non habens contrarium magis vel aequae nata est recipi in corpore mixto sicut in corpore simplici, quia non apparet magis ratio quare illa forma, ex quo est forma neutra, sit magis nata recipi in aere quam in lapide.

[21] Confirmatur, quia actus activorum sunt in patiente et disponente; sed qualitates elementares sunt magis contrariae quam qualitates mixti, quia forma mixti comparata ad formam elementorum magis est forma neutra non habens contrarium – patet, quia magis elongata a contrarietate quam formae elementorum; ergo forma neutra non habens contrarium magis est nata recipi in forma mixti quam in forma elementi. Ergo illa virtus magis est receptibilis in lapide quam in aere.

[22] Praeterea, illud quod est prius susceptivum motus est prius susceptivum virtutis praecise causatae per motum; sed <lapis> est prius receptivus ipsius motus causati a manu quam aer; ergo est prius receptivus virtutis causatae praecise per motum manus. Sed illa virtus derelicta est praecise causata per motum localem manus, quia manus quiescens non causat talem virtutem nec in medio nec in lapide; ergo lapis est prius subiectum receptivum illius virtutis quam medium. Minor probatur, quia causa est prior quam effectus; sed manus non movet vicinum aerem nisi movendo lapidem movet aerem immediate vicinum; ergo prius natura movet lapidem quam aerem immediate vicinum, quia movendo lapidem movet <aerem> [lapidem] immediate vicinum et non e converso; ergo lapis prius suscipit motum manus quam aer.

[23] Praeterea, illud <quod> est magis subiectum proportionatum virtutis causatae per motum manus quoque est subiectum magis proportionatum ad recipiendum motum manus; sed lapis est subiectum magis proportionatum ad recipiendum motum causatum a manu; ergo est subiectum magis proportionatum ad recipiendum virtutem causatam per motum manus quam medium. Probatio minoris: corpus aliquod leve, puta palea vel spondia, propter modicum pondus non est ita proportionatum mobile a manu sicut lapis determinati ponderis; sed medium est minorum ponderum quam sit palea; ergo lapis determinati ponderis est magis proportionatus ad recipiendum motum manus et deferendum ipsum quam sit medium. Ergo est magis proportionatus

ad recipiendum virtutem causatam a manu per motum.

[24] Praeterea, illud quod non potest ingredi per se ad aliquem locum non potest deferre per se aliud corpus ad illum locum – patet, quia deferre aliquid ad locum praesupponit ingredi in proprium locum; sed aer motus a manu virtute motionis manus non potest aperire corpus solidum, puta quercum vel lapidem; ergo aer motus a manu virtute motionis manus non potest deferre aliud corpus infra profunditatem quercus vel lapidis. Sed iaculum iactum a manu profundatur in quercu vel in muro; ergo iaculum non profundatur in eis per motum aeris ipsum deferentis antecedenter, quia tunc aer prius ordine naturae [61rb] scinderet vel perforaret quercum antecedenter propria[m] virtute quam deferret iaculum in ipsum, et ita non scinderet quercum virtute iaculi, quia posterius non est causa prioris; quare etc.

[25] Confirmatur: idem illud est principium motus lapidis quod est principium divisionis medii, quia movendo dividit et dividendo movet; sed illud quod per se dividit partes medii est iaculum et non aer – patet, quia illud idem dividit partes aeris motum per aerem quod dividit partes aquae et terrae motum per aquam et terram; sed illud quod dividit partes aquae et quercus non est aer motus a manu, <immo> [primo] patet quod aer sine iaculo, quantumcumque movetur a manu, non scinderet corticem quercus; ergo illud quod per se dividit medium est lapis et non medium. Ergo virtus movens lapidem est in lapide et non in medio.

[26] Praeterea, illud quod est subiectum talis virtutis moventis debet esse non solum receptivum virtutis, sed etiam receptivum eius ad tempus quamdiu durat motus; sed medium non potest <esse> [est] receptivum talis virtutis, cum continue partes medii moveantur motibus contrariis, sed lapis est magis receptivus; ergo talis virtus debet poni potius in lapide quam in medio.

<Opinio propria>

[27] Et forte rationabiliter dici potest quod talis virtus derelicta a manu sit ponenda in utroque, et in medio et in lapide, sed in lapide principalius et perfectius, licet Aristoteles et Commentator dicant oppositum. Dicunt enim quod principalius est in medio quam in lapide.

[28] Unde potest dici quod virtus movens lapidem est duplex: una

determinans lapidem ad motum sursum vel deorsum; et haec est virtus manus moventis primo qua determinat illum motum ad aliquam differentiam positionis. Alia est virtus exequens motum et continuans motum determinatum a manu, et haec est virtus causata a manu in lapide quae exequitur continuando motum inchoatum a manu, cessante manu; et ista virtus est quaedam virtus neutra, non habens formaliter contrarium, sicut nec virtus motiva animae, quae est causa aequivoca* eius, non habet formaliter contrarium, quia respicit omnem differentiam positionis. Et ideo talis virtus causata in lapide non est gravitas nec levitas, sed est virtus neutra accidentaliter sibi inhaerens, quae non habet totaliter esse permanens, sicut forma lapidis, nec totaliter esse fluens, sicut motus, sed habet partim permanens et partim fluens, sicut passio et passibilitas, qualitates, sicut calor in aqua quae sibi dimissa reddit ad frigiditatem. Et sic lapis non movetur per accidens ad motum aeris deferentis, sed movetur per se ab illa virtute, et illa virtus movetur per accidens ad motum lapidis. Nec lapis movetur solum consequenter secundum circulos, sed movetur motu continuo.

[29] Et ideo iste modus videtur rationabilior quam alius modus ponendi, quia salvat omnia quae apparent ad sensum. Salvat enim per se motum lapidum et eius continuitatem. Alius autem modus ponendi non salvat motum lapidum per se, nec eius continuitatem, nec facilitatem divisionis, quomodo videlicet medium dividatur per partes aeris. Nec salvat permanentiam illius virtutis, cum partes medii sint facilis transmutationis. Nec salvat bene genus vel speciem illius virtutis, cum illa virtus sit virtus neutra et formae elementares sint formae contrariae magis quam formae mixtorum. <Nec> [Ideo] salvat bene [61va] ordinem motionis, quia <lapis> [aer] prius est mobilis a manu quam aer. Nec salvat bene proportionem virtutis, quia manus magis laeditur ex motione aeris vacui quam ex motione lapidis debiti ponderis. Ergo rationabilius videtur ista virtus in lapide quam in aere.

\Ad rationes pro opinione Aristotelis/

[30] Tunc ad rationes. [-13] Ad primam, dico quod non nego quin aer velocius motus quam sit motus naturalis lapidis possit ipsum deferre quando ille motus praecedat motum lapidis. Sed quando ille motus sequitur motum lapidis, tunc

aer non defert lapidem. Nunc autem motus aeris a manu movente sequitur motum lapidis et non praecedit, quia manus prius ordine naturae movet lapidem quam aerem. Ideo aer motus non defert lapidem, sed magis lapis motus pellit aerem, sicut navis mota pellit aquam. Licet postmodum aqua vehat navim, tamen pulsus navis est velocior vectione aquae, sicut patet ad sensum quod motus est velocior motu undae, specialiter quando mare est tranquillum. Similiter dico quod lapis motus pellit aerem et aer pulsus vehit lapidem. Sed motus aeris est velocior, ideo licet motus aeris conferat ad motum lapidis deferendo ipsum secundario, tamen principalis causa movens, cessante manu, est in lapide et non in medio.

[31] [-14] Ad secundum, dico quod motus lapidis sursum potest comparari ad duo: et ad virtutem lapidis naturalem, et sic est violentus, quia est contra naturalem inclinationem illius virtutis; vel potest comparari <ad virtutem> accidentalem causatam a manu in lapide, et sic ille motus in lapide per comparisonem ad ipsam est naturalis et non violentus. Et secundum hoc est simpliciter violentus et secundum quid naturalis.

[32] Exemplum: calefactio qua aqua calefacta calefacit potest comparari ad duo: vel ad virtutem naturalem aquae, et sic est violenta; vel ad calorem accidentalem aquae, et sic est naturalis, quia calor est naturaliter principium calefaciendi. Exemplum aliud est de motu ferri sursum ad magnetem, qui motus <potest> comparari vel ad virtutem naturalem ferri, et sic est simpliciter violentus; vel potest comparari ad virtutem influxam a magnete in ferrum, et sic est secundum quid naturalis, quia ferrum non movetur ad magnetem nisi per aliquam virtutem receptam ab ipso. “Ideo quando complexio magnetis transmutat, non trahit” ad se ferrum, sicut accedit quando confricatur cum aliis,” secundum Commentatorem, VIII *Physicorum*, commento 35, et similiter VII *Physicorum* commento 5.¹⁴

[33] [-15] Ad tertium, dico quod passum consideratur dupliciter: vel essentialiter secundum formam naturalem, et sic nihil cooperatur effective ad motum violentum, sed magis cooperatur ad oppositum. Vel potest considerari accidentaliter secundum formam violentam acceptam ab extrinseco, et sic cooperatur accidentaliter secundum quid, immo magis proprie cooperatur dans

14 Averroes, *In Physicam* VIII, comm. 35 (ed. Venice, f. 374vaH-L); non inveni in VII, comm. 5

talem formam quam ipsum passum, sicut patet in exemplo de motu ferri, quod secundum formam naturalem non cooperatur ad motum sursum, sed tantum secundum formam receptam a magnete.

[34] Quod vero dicitur, “nihil conferente vim passo,” potest intelligi dupliciter: vel quod passum non conferat aliquam vim cooperantem ad talem motum violentum, et tunc est verum essentialiter, sed non accidentaliter, ut dictum est. Vel potest intelligi quod agens violentum non conferrat aliquam vim passo, et tunc est vera sic quod agens violentum non conferat aliquam vim convenientem ad passi, sed potius repugnantem vel disconvenientem, quod est potius distrahere quam conferre, quia conferre est proprie largiri aliud conveniens passo. Imprimere autem [61vb] aliquid disconveniens passo non est proprie conferre sed auferre.

[35] [-16]] Ad aliam rationem, dico quod, quamvis lapis non recipiat aliquam virtutem a manu, tamen quia forma naturalis est determinata ad unum, scilicet ad motum oppositum, ideo quantumcumque moveatur sursum, numquam tamen assuescet ad motum sursum, quia talis forma accidentaliter non removet formam naturalem, quae est naturaliter inclinata ad actum oppositum – sicut patet de motu ferri sursum, quia licet recipiat aliquam virtutem inhaerentem a magnete, numquam tamen per talem motum assuescit moveri sursum, quia semper remanet virtus naturalis determinata ad oppositum. Et illa virtus influxa in ferro a magnete non est levitas vel gravitas, cum ferrum moveatur ad magnetem secundum omnem differentiam positionis, sed est virtus neutra. Et tamen talis virtus proprie non est in aere subiective, sed in ferro, quia si esset in aere, non in ferro, <tunc> [tamen] aer motus ita deferret paleam sicut ferrum ad magnetem, quod patet esse falsum.

[36] Ex quo sequitur ad propositum quod virtus manus magis derelinquitur in lapide quam in aere, et quod illa virtus causata in lapide non est gravitas vel levitas, sed est forma neutra <multo> [multa] magis quam sit forma causata a magnete in ferro. Similiter, aqua bulliens movetur sursum violenter per calorem causatum ab igne, etiam igne separato ad tempus, et tamen numquam aqua assuescit moveri sursum, sed vadit ad propriam naturam.

[37] Verum est quod omnes istae rationes, excepta prima, aequae concludunt quod illa virtus non sit in aere plus quam in lapide, sicut patet intuenti, quia

motus aeris contra propriam inclinationem est violentus et numquam assuescit plus quam lapis, et tamen quomodocumque sit, oportet ponere virtutem accidentalem causatam in medio vel in lapide, ut ostensum est per Philosophum et Commentatorem.

<Articulus secundus>

[38] Ad secundum articulum principalem, dico quod instrumentum naturale, ut manus vel lingua, recipit aliquam de novo a potentia principaliter movente praeter formam proprie naturalem derelictam per motum localem. Quod probo, quia si instrumentum quod non assuescit ad actum recipit aliquam formam ad talem actum vel motum, ergo multo magis instrumentum quod assuescit ad motum recipit aliquam formam quae determinat ad illum motum. Sed instrumentum artificiale, ut rota, quae numquam assuescit ad motum circularem, recipit aliquam virtutem a manu quae continuat illum motum circularem, quae quidem virtus recepta in rota continuat illum motum, cessante manu, quia cessante manu adhuc rota movetur. Et non a forma naturali, quia illa est determinate principium motus deorsum. Nec ab aere, ut declaratum est. Ergo sequitur quod moveatur a virtute neutra impressa a manu. Ergo multo magis manus mota localiter, quae assuescit ad talem motum, recipit aliquam virtutem accidentalem per motum localem, quae quidem virtus inclinatur ad ipsum.

[39] Item, omne quod assuescit ad aliquem <actum> [actus] assuescit per aliquam formam disponentem ad ipsum; sed manus operans aliquem actum frequenter assuescit ad illum; ergo recipit aliquam formam inclinantem ad ipsum.

[40] Item, habitus vel dispositio est forma distincta a subiecto; sed in manu vel in lingua generatur ex frequenti motu locali aliquis habitus vel dispositio ad talem motum localem; ergo instrumentum naturale recipit aliquam formam accidentalem a principali movente praeter formam naturalem [62ra].

<Excursus de motu caeli>

[41] Ex quo videtur sequi correlarium quod caelum motum ab intelligentia recipiat aliquam virtutem neutram accidentalem formaliter inhaerentem, quod patet ex parte intelligentiae et ex parte caeli. Ex parte quidem intelligentiae,

quia virtus motiva intelligentiae non est imperfectior quam virtus motiva manus; sed manus apta nata est derelinquere aliquam virtutem accidentalem in corpore mobili ab ipsa; ergo multo magis intelligentia nata est derelinquere aliquam virtutem accidentalem in corpore mobili ab ipsa dummodo non repugnet tali corpori.

[42] Ex parte caeli non est repugnantia. Patet dupliciter: primo, quia forma neutra non habens contrarium quae non ponit alterationem in caelo non repugnat caelo plus quam lumen de novo causatum; sed lumen novum non repugnat lunae, quia sol illuminans omnes orbis inferiores imprimit aliquam formam in eis, tamen quia illa forma non habet contrarium nec ponit alterationem in eis, [et]¹⁵ ideo non repugnat eis; sed forma quae est principium motus secundum omnes differentias positionis est forma neutra non habens contrarium formaliter, et per consequens non ponit alterationem aliquam in subjecto plus quam lux; ergo talis forma non repugnat caelo.

[43] Secundo, quia cuicumque non repugnat motus, non repugnat forma quae est proprie principium illius motus propter alterationem, nisi sit alia causa repugnantiae, quia forma accidentalis quae est principium motus localis non est imperfectior motu locali; sed motus localis non repugnat caelo; ergo nec illa forma repugnat caelo propter sui imperfectionem. Sed non videtur alia causa quare talis forma repugnet caelo nisi propter sui imperfectionem, et hoc non obstat, ut dictum est; ergo hoc non repugnat sibi. Ergo [an] sicut manus movens rotam imprimit aliquam formam rotae, per quam formam, cessante manu movere, adhuc rota movetur ad tempus modicum, ita intelligentia movens caelum probabile est quod imprimat sibi aliquam virtutem accidentalem per quam, cessante intelligentia movere, adhuc caelum movetur ad tempus.

[44] Ex quo etiam patet quomodo motus caeli aliquo modo est voluntarius et¹⁶ aliquo modo naturalis, quia motus caeli comparatus ad virtutem intelligentiae determinantem, quae non est forma eius, est motus voluntarius et non naturalis; sed motus caeli comparatus ad virtutem accidentalem causatam ab intelligentia, quae virtus non repugnat naturae caeli sicut repugnat naturae lapidis, sed est sibi consona, ille motus est aliquo modo naturalis, non solum

15 *om.* Maier, p. 173, n. 23.

16 *om.* Maier, p. 178, n. 24.

passive sed active. Et sic patet quod ille motus est aliquo modo a principio intrinseco. Nec alio modo potest bene salvari quomodo ille motus sit naturalis nisi ponendo aliquam virtutem influxam ab intelligentia ipsi caelo, quae sit principium effectivum illius motus.

[45] Quod etiam potest declarari ex parte caeli sic: quanto aliquod mobile est magis oboediens moventi et non resistens sibi, tanto magis est susceptivum influentiae moventis ex parte sua, quia “actus activorum sunt in patiente praedisposito,” II *De anima*,¹⁷ sed caelum est magis oboediens intelligentiae moventi quam sit lapis vel medium ipsi manui moventi, quia minus caelum resistit motui quam lapis vel medium manui; sed a manu relinquitur aliqua virtus in medio vel in lapide, secundum Commentatorem ubi prius;¹⁸ ergo multo magis ab intelligentia causari potest in caelo aliqua virtus continuativa motus. [62rb]

[46] Sed contra, quia manus non causat in medio vel in lapide aliquam virtutem <nisi> rarefaciendo et condensando ipsum, secundum Commentatorem ubi prius,¹⁹ sed caelum non est rarefactibile nec condensabile, ergo non est susceptivum talis virtutis.

[47] Praeterea, talis virtus in caelo esset corruptibilis cessante intelligentia movere caelum. Tunc quaero per quid esset corruptibilis? Constat quod non per contrarium, quia si haberet contrarium, caelum alteraretur suscipiendo ipsam. Nec est corruptibilis per corruptionem subiecti, quia eius subiectum, scilicet caelum, est incorruptibile. Nec est <corruptibilis> [corruptibile] per subtractionem influentiae moventis, quia talis virtus ponitur manere cessante intelligentia movere. Ergo talis virtus est simpliciter incorruptibilis. Sed intelligentia non potest causare aliquam virtutem incorruptibilem simpliciter.

[48] Respondeo. [-46] Ad primum dico quod, <licet> lapis vel aer suscipiendo illam virtutem motivam a manu rarefiat vel condensetur, hoc est per accidens, quia non est in ultima dispositione ad illam formam. Sed si esset in ultima dispositione ad eam, non oporteret rarefieri et condensari. Hoc autem est

¹⁷ Aristoteles, *De anima* II, c. 2: 414a11-12 (J. Hamesse, *Les auctoritates Aristotelis*, Louvain 1974, p. 177, #55).

¹⁸ Scil. *In Physicam* VIII, comm. 82.

¹⁹ Scil. *In Physicam* VIII, comm. 82.

ex imperfectione manus, quae agit per modum corporis occupantis locum. Idem enim expellendo partes medii ad invicem partim rarefacit et partim condensat. Sed caelum est in ultima dispositione ad illam formam et intelligentia non occupat locum expellendo partes caeli. Ideo caelum est susceptivum illius formae absque omni condensatione et rarefactione praevia.

[49] [-47] Ad secundum, eodem modo posset argui quod in caelo non erit vox nec sonus vocalis, quia illa vox beatorum facta in caelo aut corrumpitur, et tunc caelum esset alterabile; aut corrumpitur ad corruptionem subiecti, et tunc caelum esset corruptibile; aut corrumpitur ad cessationem loquentis, et tunc esset in instanti, et sic oratio esset composita ex innumerabilibus distinctis, quod est inconveniens. Ideo dico quod talis virtus non corrumpitur a contrario, cum non habeat contrarium, nec corrumpitur ad corruptionem subiecti, cum subiectum sit incorruptibile, sed corrumpitur ad cessationem moventis. Sed aliquid corrumpi ad cessationem moventis potest esse dupliciter: vel quod simul actu cessante movente illud desinat esse, quomodo motus desinit esse desinente motore, quia cessante motore, simul cessat motus immediate causatus ab eo. Vel quod desinat ad cessationem moventis non simul, sed ad modicum post, quia propter sui imperfectionem non est natum diu manere in esse sine praesentia moventis, quomodo desinit esse virtus motiva rotae desinente primo movente rotam. Et isto modo potest dici quod desineret virtus motiva esse causata in caelo per motum ab intelligentia movente caelum, et ob hoc apparet adhuc, ut motus caeli continetur, quod semper assistat intelligentia causans successive tam illam virtutem motivam in caelo quam etiam motum, etc.

[50] \Dubia multa sunt hic: quid per prius causetur in caelo? Item, videtur frustra. Item, ex quo motus caeli non habet contrarium, sufficeret illa virtus. Item, motus caeli intenderetur cottidie./

<Articulus tertius>

[51] Quantum ad tertium articulum, dico quod in sacramentis non est aliqua virtus supernaturalis formaliter inhaerens praeter virtutem supernaturaliter assistentem. Et hoc probo, primo quia si esset aliqua virtus in eis formaliter inhaerens supernaturaliter influxa, aut esset indivisibilis aut divisibilis. Non indivisibilis, quia accidens <indivisibile> [indivisibilis] non est in subjecto

divisibili, quia tunc accidens esset nobilior subiecto, cum forma indivisibilis sit nobilior forma divisibili. Illa autem forma supernaturalis, si ponatur, esset forma accidentalis [62va] et non substantialis. Secus autem est de forma substantiali, quia forma substantialis est nobilior subiecto simpliciter et simpliciter independens, licet dependeat secundum quid. Ideo forma substantialis indivisibilis, licet possit esse in subiecto divisibili, sicut anima sensitiva est in corpore, secundum Augustinum, VI *De Trinitate*, capitulo 6,²⁰ tamen forma accidentalis quae est simpliciter ignobilior subiecto est simpliciter dependens ab eo. Sed non dependeret si esset accidens indivisibile et subiectum esset divisibile; ergo impossibile est quod illa virtus ponatur esse accidens indivisibile. Nec potest poni divisibile, quia forma divisibilis est maior in maiori subiecto; sed virtus sacramenti non est maior in maiori subiecto quam in minori, quia baptizatus in fluvio non habet plus de virtute sacramenti quam baptizatus in dolio; ergo talis virtus non est divisibilis.

[52] Secundo, quia talis virtus vel est corporea vel incorporea. Non potest poni incorporea, quia accidens incorporeum praesupponit subiectum incorporeum, sicut accidens corporeum praesupponit subiectum corporeum. Sed talis virtus non haberet subiectum incorporeum, sed corporeum. Item, proprium accidens unius non potest recipi in alio; sed accidens incorporeum est proprium accidens substantiae incorporeae, sicut accidens corporeum est proprium accidens substantiae corporeae; ergo sicut est impossibile quod accidens corporeum recipiatur in substantia incorporea, <sic est impossibile quod accidens incorporeum recipiatur in substantia corporea>.

[53] Nec potest poni illa virtus corporea, quia tunc non magis haberet virtutem causandi aliquid in anima quam virtus naturalis sacramenti, quia omnis virtus corporea habet eandem proportionem ad <potentiam> [positionem] incorpoream. Praeterea, illa virtus minus haberet proportionem motivi ad mobile ad ipsam animam quam virtus naturalis elementi, et ideo frustra poneretur. Probatio minoris: quia ens corporeum non movet partem animae intellectivam nisi mediante sensitiva; sed virtus naturalis sacramenti movet sensum particularem et sensum communem mediante sensu particulari, illa autem virtus supernaturalis, cum amisso sensu percipiatur, non movet aliquem

20 Augustinus, *De Trinitate* VI, c. 6, no. 8 (CCL 50, p. 237.20-7).

sensum exteriorem vel interiorem; ergo esset multo minus proportionata ad movendum intellectum coniunctum talis virtus supernaturalis.

[54] Item tertio, aut illa virtus esset permanens aut esset fluens. Non potest poni permanens, quia accidens permanens non potest poni in subiecto non permanente; sed verba sacramentalia non sunt permanentia, sed consequenter se habentia; ergo illa virtus non est permanens. Nec potest poni non permanens, quia virtus sacramenti praesupponit veritatem sacramenti; sed veritas sacramenti non habetur nisi in ultimo instanti prolationis verborum, quia veritas propositionis non habetur nisi in ultimo instanti generat perfectum conceptum in anima audientis; ergo illa virtus non esset in sacramento, sed in ultima littera verborum. Et ista ultima esse<t> perfectior omnibus aliis, quia esset subiectum illius virtutis, cuius non est subiectum aliqua alia littera.

[55] Confirmatur etc. Quaere residuum quaestionis.